

cientibus, simulatur à non habentibus, imperatur à non tenentibus: sed veræ pacis tres sunt species, scilicet pax probata, pax confirmata, pax certa. *Hugo de claustr. animæ lib. 5. c. 9.*

21. Lingua quandoque pacem prædicat, sed sæpius turbat, quum autem habitus, cor et lingua concordant, pacem servant: ubi vero dissoluta discurrit, pacem solvit. *Ibidem.*

22. Pax est concordantium in bono animorum ordinata tranquillitas. *Cass. super Psal.*

23. Pax vera est, concordiam habere cum moribus probis, et litigare cum vitiis. *Idem super Psal. Factus est in pace.*

24. Quum enim peccatores videntur locupletes, nullisque domiuari populis et in mundo non est quod timeant, pacem habere putantur: sed pax ista cum conscientia semper litigat, rixatur intrinsecus, et cum hostem non habeat, secuta decertat. *Cass. super Psal. 72.*

25. Habeatis unitatem spiritus in vinculo pacis, nec inveniri potest forma expressionis angelicæ, quam unitas socialis. *Cass. super psalm.*

26. In hoc enim gratia regis extollitur et servatur, si in æquitate pacis populum dirigat, et in justitiæ vigore conservet. Hæc enim est bonarum artium mater decora: hæc mortalium genus reparabili successione multiplicans, facultates protendit, mores extollit, et tantarum rerum ignarus cognoscitur, qui eam minime quæsisse sentitur. *Cass. lib. 1. epist. 1.*

27. Decet regalis apicis curam generalitatis custodire concordiam, quæ ad laudem regnantis trahitur, si ab omnibus pax ametur. Quid est enim, quod principem melius prædicet, quam quietus populus, concors senatus, et tota Respublica morum honestate vestita? *Ib. ep. 22.*

28. Quietissimam vitam agerent homines in terra, si hæc duo verba à natura rerum omnium tollerentur, Meum et Tuum. *Sen. in lib. de morib.*

29. Nosti ne igitur, quod omne quod est, tandiu

manere atque subsistere solet, quamdiu sit unum sed interire atque dissolvi pariter, quando unum esse desierit? *Boet. 4. de consol.*

Vide etiam in tit. Bellum, núm. 8, 32. in tit. Discordia, núm. 15. in tit. Gaudium, núm. 18. in tit. Regimen, núm. 30. in tit. Tentatio, núm. 14.

PECCATUM.

1. Si quaeratur à me, utrum homo sine peccato potest esse in hac vita, confiteor posse per Dei gratiam, et liberum ejus arbitrium. *August. in lib. de bapt. parvul.*

2. Peccatum nihil est, et nihil fiunt homines, quum peccant. *Aug. super Joan.*

3. Nullum peccatum committi potest, nisi dum appetuntur ea, quæ Christus contempsit, aut fugiuntur, quæ ille sustinuit. *August. de ver. reli.*

4. Nemo renascitur in Christi corpore, nisi prius nascatur in peccati corruptione. *August. in lib. de bapt. parvul.*

5. Nullus sanctus et justus caret peccato, nec tamen ex hoc desinit esse justus, vel sanctus, cum affectu teneat sanctitatem. *August. de eccles. dog.*

6. Si fuerit aliquis conjugalibus excessibus, qui tamen legitimum non violet torum, habebit nonnullum, sed veniale peccatum. *Aug. in lib. de fide. ad Petr.*

7. Nullum scelus coram Deo tam abominabile est, quam preterita peccata unicuique nostrum dimissa reminiscendo, gaudere, et inde exultare. *Aug. in epi. ad quandam comitem.*

8. Qui pectus suum tundit, et se non corrigit, peccata solidat, non tollit. *August. in quodam serm.*

9. Quis peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? *August. lib. 5. de libero arb.*

10. Ex quo incipit homo præcepti esse capax, ex illo incipit posse peccare. Duobus modis peccat, ante quam sit sapiens: si aut se non accomodat ad accipiendum præceptum: aut quum acceperit, non obser-

vel: sapiens autem peccat, si se avertit á sapientia. *Ibidem.*

11. Peccatum est voluntas retinendi, vel consequendi, quod justitia velatur. *August. de duob. anim.*

12. Sane quum sola cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens esse facienda: tenens tamen et volens libenter quæ statim, ut alligerunt animum, respui debere: non negandum est esse peccatum: sed longe minus, quam si et opere statuatur implendum: et ideo de talibus quoque cogitationibus venia petenda est, peclusque percipiendum, atque dicendum: *Dimitte nobis debita nostra*, faciendum quoque quod sequitur, atque in oratione jungendum, *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. August. 12. lib. de Trin.*

13. Neque enim sicut in illis duobus primis hominibus personam suam quisque portabat, et ideo si solum mulier cibum edisset illicitum, sola ulique mortis supplicio plecteretur: ita dici potest in homine uno, si delectationibus illicitis, á quibus se avertere deberet continuo, cogitatione sola libenter pascatur, nec facienda decernantur mala, sed tamen suaviter in recordatione teneantur, quasi mulierem sine viro posse damnari, absit hoc credere: hic quippe una persona est: unus homo est, totusque damnabitur: nisi hæc, quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per mediatoris gratiam remittuntur. *Ibidem.*

14. In ipsis alimentis quæ ulique concessa sunt, si forte excedit modum et accipit amplius, quam est necesse, peccat, quotidiana sunt ista, quæ dico: sed tamen peccata sunt, et non sunt levia, quia plura. Quia vero quotidiana et plurima sunt, timenda est ruina multitudinis. Talia peccata dicimus, fratres. quotidianis eleemosynis posse mundari. *August. in lib. de decem chordis.*

15. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, non dicit, non sit: sed non regnet. Inest pec-

catum, quum delectaris, regnal, quum consenseris. *August. super. Psalm. 5.*

16. Nolite contemnere venialia, quia minima sunt: sed timete, quia plura: plerumque enim bestia minuta multæ necant: numquid minutissima sunt grana arenæ, sed si arena amplius in navi mittatur, mergit illam ut pereat? quam minuta guttæ pluvie, nonne flumina implent et domos dejiciunt? Timenda est ergo ruina multitudinis, et si non magnitudinis. *August. de decem chord.*

17. Tribus gradibus ad peccatum pervenitur, suggestione, delectatione, consensione. Itaque ipsius peccati tres sunt differentia, in corde, in facto, et in consuetudine, tanquam tres mortes: una quasi in domo, quum corde consentitur libidini: altera quasi prolata jam extra portam, quum in factum procedit assensio: tertia, quum in consuetudinis malæ tanquam mole terrena premitur animus, quasi in sepulchro jam putrens: quæ tria genera mortuorum Dominum resuscitasse quisquis evangelium legit, agnoscit. *August. in lib. de serm. in monte et ponitur de pœnit. dist. 2.*

18. Liberum sic confitemur arbitrium, ut dicamus, nos semper indigere auxilio, et tam illos errare qui cum Manichæo dicunt, hominem peccatum vitare non posse, quam illos, qui cum Joviniano dicunt, hominem peccare non posse. Velle currere, est meum, sine Dei tamen auxilio non erit meum. *Ambr. in quad. epist.*

19. Peccare in Spiritum sanctum, est per malitiam et invidiam, fraternam impugnare charitatem. *Ambr. de spirit. sanct.*

20. Primum peccatum est cogitasse, quæ mala sunt: secundum cogitationibus acquievisse perversis: tertium, quod est deterius, opere complesse: quartum post peccatum non facere pœnitentiam, et in suo complacere sibi delicto. *Hier. lib. 1. super Amos.*

21. Cui Deus venter est, ei Deus recens est. Quæcumque vitia habemus, et quotcumque peccata, tot recentes habemus Deos. Iratus sum, ira mihi Deus

est. Vidi mulierem et concupivi, libido mihi Deus est. Unusquisque enim quod cupit et veneratur, hoc illi Deus est. *Hier. super Psalm. 80. Non erit in te Deus.*

22. Sicut nonnunquam gravius est peccatum diligere, quam perpetrare, ita nequius est, odisse justitiam, quam non fecisse. *Hieron. in quadam. epist.*

23. Prioris peccati merito, peccatorum subsequentium fovea legitur: ut qui malum sciens perpetrat, deinceps juste in alia etiam nesciens cadat: hoc quippe agitur, ut culpis culpa feriat, quatenus supplicia fiant peccantium ipsa incrementa vitiorum. *Greg. lib. mor.*

24. Nonnunquam in parvis deterius, quam in majori peccatur. Major enim quo citius quiescit culpa cognoscitur: eo etiam celerius emendatur: minor vero, dum quasi nulla creditur, eo pejus, quo et securius in usu relinetur. *Gregor. ho. 52. extr. part.*

25. Hoc inter peccatum et delictum distat, quod peccatum est malum facere: delictum vero bona derelinquere, quæ sunt in opere tenenda, vel peccatum in opere est, delictum in cogitatione. *Greg. 2. par. super. Ezeq.*

26. Quatuor modis peccatum perpetratur in corde: quatuor consummatur in opere. In corde namque suggestionem, delectationem, consensu et defensionis audacia perpetratur. Fit enim suggestio per diabolum, delectatio per carnem: consensus per spiritum: defensionis audacia per elationem. Quatuor modis peccatum consummatur in opere. Prius namque latens culpa agitur: postmodum etiam ante oculos hominum sine confusione reatus aperitur: deinde in consuetudinem ducitur. Ad extremum quoque vel falsæ spei seductionibus, vel obstinatione miseræ desperationis enutritur. *Isid. lib. 25. cap. 19. de sum. bon.*

27. Peccatum quod ex peccato oritur: non jam peccatum tantummodo, sed peccatum est, et pœna peccati: quia justo iudicio omnipotens Deus cor peccantis obnubilat, ut præcedentis peccati merito etiam

in alia cadat: ut qui malum sciens perpetrat, deinceps juste in alia etiam nolens cadat. *Greg. lib. 14. c. 12.*

28. Usitata culpa obligat mentem, ut nequaquam surgere possit ad rectitudinem: conatur et labitur: quia ubi sponte diu persistit, ibi et quum noluerit, cadit. *Greg. in ho.*

29. Peccatum tribus modis admittitur, nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut studio perpetratur: et gravius quidem est infirmitate, quam ignorantia, sed multo gravius studio, quam infirmitate peccatur. *Greg. in ho. et ponitur de pœn. dist. 2.*

30. Posse enim peccare, datum est homini, non ut proinde peccaret, sed tu gloriosior appareret, si non peccaret, cum peccare posset. *Bern. de lib. arb.*

31. Peccantis lapsus non dono ascribendus est potestatis, sed vitio voluntatis, et si datum fuit voluntati, posse stare ne caderet, non tamen resurgere, si caderet. Non enim tam facile quis valet exire de fovea, sicut in eam labi. *Ibidem.*

32. Quare peccas? quia nescis quid facias? absit: quia cogaris, ut facias? absit, sed quia placet, ut sic facias. *Bernard. in quod. serm.*

33. Tanto majus peccatum esse cognoscitur, quanto major, qui peccat, habetur. Crescit enim delicti cumulus juxta ordinem meritorum: et sæpe quod minoribus ignoscitur, majoribus imputatur. *Isidor. de sum. bon. lib. 1. c. 18.*

34. Majoris est culpæ manifeste, quam occulte peccare: dupliciter enim reus est, qui aperte delinquit: quia et agit et docet. *Ibidem. c. 8.*

35. Istis fomitibus quasi quibusdam gradibus coalescit omne peccatum: cogitatio namque prava delectationem parit: delectatio consensionem, consensio actionem, actio consuetudinem, consuetudo necessitatem, necessitas mortem, sicque in his vinculis homo implicatus quadam catena vitiorum tenetur adstrictus. *Ibidem. c. 23.*

36. Diabolus nulla præcedentis peccati vindicta superbiens peccavit: ego visa ejus pœna non conti-

nens ad peccatum properavi: ille in innocentia constitutus, ego vero restitutus: ille perstitit in malitia, Deo reprobante: ego vero Deo revocante: ille vero obduratur ad punientem, ego vero ad blandientem et sic uterque contra Deum: ille contra non requirentem se: ego vero contra morientem pro me. Ecce ejus imaginem horrebam, horrorem in multis aspicio me horribiliorem. *Anselm. in lib. de casu diaboli.*

37. Mortale peccatum, quantum mihi videtur triplici recte ratione distinguitur. Mortale est, quod a quovis non potest committi, sine grandi corruptione sui, sine gravi læsione proximi, et sine magno contemptu Dei. Cætera vero omnia videntur mihi venialia. Veniale peccatum, est reatus, cui quantum est in se solum fide mediante nunquam debetur pœna æternæ damnationis: mortale vero est reatus, cui quantum in se solum: semper debetur æterna damnatio. *Richard. de diff. mort. et ven.*

38. Hoc dicimus, quod tantum unusquisque à divinitate repellitur, quantum ejus peccata cumulantur. Quantitas enim delicti mensura est repudiî, quia tantum à Deo reus longior redditur, quantum numeroso crimine dilatur. *Cass. super psalm. 5. Expelle eos.*

39. Tribus modis omne peccatum contrahitur. Primus gradus delictorum est, non reddere bona pro bonis. Secundus, reddere mala pro malis. Tertius est, tribuere mala pro bonis. Contra hæc sunt tria laudabilia. Primum, impendere bona pro bonis. Secundum malum pro malo non reddere. Tertium perfectissimum virtutis genus est, bonum pro malo tribuere. *Cass. super psalm. Pro eo ut me deligerent detrahebant.*

40. * Præter culpam et peccatum homini nihil potest accidere, quod sit horribile atque pertimescendum. *Cicero.*

41. Ideo peccamus, quia de partibus vitæ omnes deliberamus, de tota nemo deliberat. *Seneca in quadam epist.*

42. Bonus vir est qui eo usque perducit affectu animum, ut non tantum peccare non velit, sed etiam non possit. *Sen. in lib. de mor.*

43. Plerique metu peccare cessant, non innocentia, profecto lales timidi, non innocentes dicendi sunt. *Senec. in prov.*

44. Bis peccas, quum peccato obsequium accomodas: nihil peccant oculi, si non oculis animus imperet. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Clericus, núm. 16. in tit. Cogitatio, núm. 2, 3, 4, 6, 9, 11. in tit. Confessio, núm. 10, 19. in tit. Conjugium, núm. 1. in tit. Conscientia, núm. 30. in tit. Consideratio, núm. 1, 24. in tit. Consuetudo, núm. 4, 6, 9, 10, 15, 23. in tit. Conversio, núm. 18. in tit. Correctio, núm. 22, 26, 42, 69. in tit. Cupiditas, núm. 1. in tit. Curiositas, núm. 5. in tit. Excusatio, núm. 1, 2, 10, 12, 24. in tit. Libertas, núm. 5. in tit. Maria, núm. 1. in tit. Passio, núm. 1, 10. in tit. Pax, núm. 24. in tit. Pœna, núm. 3, 4, 16. in tit. Recidivatio et Resurrectio, núm. 5. in tit. Sanctitas, núm. 1. in tit. Virtus, núm. 4. in tit. Voluntas, núm. 3.

PœNA SIVE PUNITIO.

1. Illa est pœna peccati justissima, ut amittat unusquisque illud, quo bene uti noluit, cum sine ulla difficultate posset si vellet, id est, ut qui sciens recte non facit, amittat scire quid rectum sit: et qui rectum facere cum posset, noluit, amittat posse, cum velit. *Aug. lib. 5. de lib. arb.*

2. Jussisti Domine, et sic est, ut pœna sit tibi omnis inordinatus animus. *August. lib. 2. confess.*

3. Mitissima omnium pœnarum erit eorum, qui præter peccatum, quod originale contraxerunt, nullum insuper addiderunt. *Aug. in Ench. c. 95.*

4. Quia impunitum non debet esse peccatum, puniatur à te, ne tu pro illo puniaris. Peccatum tuum judicem te habeat, non patronum. *August. de util. agen. penit.*

5. Sicut non impediunt justum ab æterna vita quadam peccata venialia, sine quibus vita ista non ge-

ritur: sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur. *Aug. in lib. de sentent. Prosper.*

6. Qui in aliud sæculum distulit fructum conversionis, prius purgabitur igne purgationis, hic ignis etsi non sit æternus, miro tamen modo gravis est: superat enim omnem pœnam, quam homo unquam passus est in hac vita, vel pati potest. *August. in serm. de igne purg. et ponitur 25. dist.*

7. In præsentī quidem vita delectationes temporales dulces sunt, et tribulationes amaræ: sed quis non bibat tribulationis poculum, metuens ignem infernalem? Aut quis non contemnat delectationem sæculi, inhians vitæ æternæ? *Aug. in quod. serm.*

8. Cui dubium, quin inter tres peccatores, imo impios, gentilem, hæreticum, ecclesiasticum, multo majoribus pœnis dignus sit, qui majoris fuerit dignitatis? *Hier. sup. Ezech.*

9. Tanto rectius majori supplicio dignum judicaverim animum, quanto vilius subdit instrumenta virutatum. *Aug. in quadam epist.*

10. Electos Dei cernimus, et pia agere, et crudelia tolerare. Hinc ergo colligitur: districtus iudex, quanta illic feriat districtione quos reprobat, si hic crucial, quos amat. *Greg. in moral.*

11. Sicut uno Sole omnes tanguntur, nec tamen sub eo uno ordine omnes æstuamus, quia juxta qualitatem corporis, sentitur etiam pondus caloris: Sic damnatis una est gehenna, quæ affligit, et tamen non omnes uno calore comburit: quia quod hic agit dispar valetudo corporum, hoc illic exhibet dispar causa meritorum. *Ibidem.*

12. Ad districti iudicii justitiam pertinet, ut nunquam careant supplicio, quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato: et nullus detur iniquo terminus ultionis, quia quamdiu valuit, habere noluit terminum criminis. *Ibidem.*

13. Nemo Dei longanimitatem negligat: quia tanto

districtiorem justitiam in iudicio exiget, quanto longiorem ante iudicium patientiam prorogavit. *Greg. ho. 15. super evang. Sint lumbi, etc.*

14. Altissimus enim est patiens redditor: patiens dicitur, quia peccata hominum et patitur, et reddit: nam quos diu, ut convertantur, tolerat, non conversos durius damnat. *Ibidem.*

15. Anima illic posita bene esse perdidit, et esse non perdidit, ex qua re semper cogitur, ut et mortem sine morte, et defectum sine defectu, et finem sine fine paliatur: quatenus ei et mors immortalis sit, et defectus indeficiens, et finis infinitus. *Greg. lib. 4. dial.*

16. Iniqui ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Nam voluissent utique sine fine vivere, ut potuissent sine fine peccare. Ostendunt enim quia in peccato semper vivere cupiunt, quia nunquam desinunt peccare, dum vivunt. Ad magnam igitur judicantis justitiam pertinet, ut nunquam careant supplicio, quia in hac vita nunquam voluerunt carere peccato. *Ibidem.*

17. Injustus quisque eo atrocius in tormentis obruitur, quo altius in peccatis elevatur, transit quod extollitur, permanet quod punitur. Qui honoratur in via, in perventione damnabitur: et quasi per amœna prata ad carcerem pervenit, qui per præsentis vitæ prospera ad interitum tendit. *Greg. in moral.*

18. Pœna præsens, quæ injusti animam a pravis desideriis mutat, ab æternis suppliciis non liberat, quos mutat: nam quem præsentia mala non corrigunt, ad sequentia perducunt. *Ibidem.*

19. Justum est, ut quos culpa simul inquinat, par etiam pœna adstringat: et qui nequaquam dispari sunt iniquitate polluti, nequaquam tormento crucientur dispari: quatenus simul damnatio conterat, quos similis elatio sublevabat. *Ibidem.*

20. Horrendo modo fit miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu: quia et mors semper vivit, et finis semper incipit: et deficere defectus nescit. Mors perimit, et non extinguit: dolor

cruciat, sed nullatenus pavorem fugat: flamma comburitur, sed nequaquam tenebras excutit. *Ibidem.*

21. Ob hoc inflexibilis et obstinattæ mentis malum punitur æternaliter, licet temporaliter perpetratum: quia quod breve fuit tempore vel opere, longum esse constat in pertinaci voluntate, ita ut si nunquam moreretur, nunquam velle peccare desineret. Imo semper vivere vellet, ut semper peccare posset. *Bern. in epist. 252.*

22. Quid tam pœnale, quam semper velle, quod nunquam erit, et semper nolle, quod nunquam non erit? *Bern. de consid.*

23. Justius est enim injustum juste evadere, quam justum injustè punire: quia reus et si semel evaserit, potest iterum perire, innocens autem, si semel perierit, jam non potest revocari. *Chry. super. Matth. c. 1.*

24. Novi, quod plurimi solam pertimescant gehennam: ego autem illius gloriæ amissionem multo amarius, quam ipsius gehennæ dico esse supplicium horribile valde quis ponit gehennas, nisi tale dicturus est, quale est à beatæ illius gloriæ honore expelli, et esse exosum Christo. *Chry. super ill. Matth. 6. Excidetur et in ignem.*

25. Quis putas tunc moror erit, quæ tristitia, quum separabuntur impii à consortio sanctorum, et à visione Dei, et traditi in potestate demonum ibunt cum ipsis in ignem æternum? ibique semper erunt sine fine, in luctu et gemitu, ubi erit dolor intolerabilis, fætor incomparabilis, timor horribilis, mors corporis et animæ, sine spe veniæ et misericordiæ? ubi nec qui torquet, aliquando fatigatur, nec qui torquetur, aliquando moritur: sed sic morientur, ut semper vivant, et sic vivent, ut semper moriantur. *Hugo lib. 1. de anim.*

26. Juste puniuntur, qui licitis abutuntur: justius vero puniuntur, qui aliena rapere conantur: sic Sathanas cœlum, sic protoplastus perdidit paradysum. *Hug. l. 2. de anim.*

27. Occultam culpam sequitur aperta percussio, ut malis exterioribus interna puniantur, et cor publice corruat, quod latenter peccabat. *Cass. super Psal. Dixit incipiens.*

28. Improbis autem pœna statuenda est, nec vero minor his, qui secuti erunt alterum, quam his, qui fuerint impietatis duces. *Tullius de amicitia.*

29. Quos ipsa natura retinere in officio non potest, ii magnitudine pœnæ maleficio submovendi sunt. *Idem pro Roscio.*

30. Est utilius unius improbi supplicio multorum improbitatem coercere, quam propter multos improbos uni parcere. *Idem 5. Actio in Verrem.*

31. Lento enim gradu ad vindictam sui divina procedit ira, et tarditatem supplicii gravitate pensat. *Val. lib. 1. de memor. dictis.*

32. Satis pœnarum est potuisse puniri gravis tamen pœna est, quem post facti pœnitel. *Senec. in Prov.*

Vide etiam in tit. Baptismus, núm. 8, 10. in tit. Caro, núm. 9. in tit. Confessio, núm. 11, 12. in tit. Correctio, núm. 87, 88, 92, 95. in tit. Gaudium, núm. 7. in tit. Gloria vana, núm. 23. in tit. Infernus, núm. 1, 6. in tit. Hypocrisis, núm. 27. in tit. Labor, núm. 8. in tit. Lachryma, núm. 10. in tit. Lex, núm. 5. in tit. Pœnitentia, núm. 4. in tit. Timor, núm. 9. 11. in tit. Tribulatio, núm. 1.

PŒNITENTIA.

1. Pœnitentia aboleri peccata indubitanter credimus, et in ultimo vitæ spiritu, si admissorum pœniteat. *Aug. de eccles. dog. c. 48.*

2. Melius est modica amaritudo in faucibus, quam æternum tormentum in visceribus. *Aug. de 10. chordis.*

3. In tribunal mentis tuæ ascende contra te, et reum te constitue ante te: noli te ponere post te, ne Deus te ponat ante te. *August. in lib. de util. agen. pœnit.*

4. Nolite negligere, quod vos pius Dominus pec-

cantes sustinet: quia quanto diutius expectat ut emendelis, tanto gravius judicabit, si neglexeritis. *Ibidem.*

5. Sunt multi quos peccare non pudet, ó incredibilis insania: de vulnere ipso non erubescis, et de ligatura vulneris erubescis. Nonne vulnus foetidum et pulridum est? confuge ergo ad medicum: age pœnitentiam: dic, *iniquitatem meam ego agnosco, et peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccavi: quia tu solus sine peccato. Aug. super psal. 5.*

6. Justitia de cœlo prospexit, tanquam Dei dicens: *Parcamus huic homini, quia ipse sibi non pepercit: agnoscamus, quia ipse agnoscit: conversus est ad puniendum peccatum suum, convertar et ego ad liberandum eum. Aug. super Psalm. 84.*

7. Ad agendam pœnitentiam non sufficit mores in melius commutare, et á malefactis recedere, nisi et de his, quæ facta sunt satisfacias Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis. *August. in lib. de pœnit.*

8. Jugum meum leve est, et sarcina mea levis, hæc sarcina non est pondus onerati sed alæ sunt volatori: habent enim et aves pennarum suarum sarcinas, et quidem portant illas in terra: portantur ab illis in cœlum. *August. super Psalm.*

9. Inanis est pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat: nihil prosunt lamenta, si replicentur peccata. Nihil valet à malis veniam poscere, et mala de novo iterare. *Aug. in soliloq.*

10. Pœnitentia languores sanat, leprosos curat, et mortuos suscitât, sanitatem auget, gratiam conservat, claudis gressum, aridis copiam, cæcis restituit visum: vitia fugat, virtutes exornat, mentem munit et roborat. *Aug. lib. de pœnit.*

11. Qui per pœnitentiam peccata diluit, angelicæ felicitatis consors in æternum erit. *Aug. lib. de mira. sacræ script.*

12. Si quis positus in extrema necessitate suæ ægritudinis, voluerit accipere pœnitentiam, et accipit,

et mox reconciliatur, et hinc vadit: fateor vobis non illi negamus, quod petit: sed non præsumimus quod bene hinc exit: si securus hinc exit, ego nescio, pœnitentiam dare possumus, securitatem autem non. Non quidem dico, damnabitur: sed nec dico, liberabitur. Vis ergo á dubio liberari? tene certum, et dimitte incertum. Age pœnitentiam, dum sanus es: si sic agis, dico tibi: quod securus es, quia pœnitentiam egisti eo tempore, quo peccare potuisti. Si vis agere pœnitentiam, quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. *August. serm. 36.*

13. Quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit: nec dignus est in morte accipere solatia, qui se non cogitavit moriturum. *Ibidem.*

14. Quem enim morbus urget, et pœna terret, ad veram vix veniet satisfactionem: maxime cum filii quos illicite dilexit, sint præsentis: uxor et mundus ad se vocent: multos enim solet serotina pœnitentia decipere. *Ibidem.*

15. Peccavit David, quod solent reges, sed pœnitentiam gessit: flevit, ingemuit, quod non solent reges: confessus est culpam, et obsecravit indulgentiam. *Ambr. de David lib. 1.*

16. Quod David peccavit, conditionis est: quod supplicavit correctionis. Lapsus communis, confessio specialis. In culpam itaque incidisse naturæ est: dolere, virtutis. *Ibidem.*

17. Egressus malitiæ virtutis operatur ingressum: eodemque studio quo crimen excluditur, innocentia copulatur. *Ambr. de Cain et Abel lib. 1.*

18. Qui pœnitentiam agit, paratus debet esse ad opprobria perferenda, injuriasque subeundas: nec commoveri, si quis ei peccati sui crimen objiciat. *Ambr. lib. de Joseph c. 36.*

19. Nihil peccare, solius Dei est: emendare, sapientis et corrigere erratum, et pœnitentiam agere de peccato: id lamen difficile est in hac vita homini. Quid enim tam rarum, quam ut invenias virum, qui

se ipsum coarguat, et factum condemnet suum? Rara itaque confessio de peccato, rara pœnitentia: rara in hominibus verbi hujus assertio. Repugnat enim natura, repugnat verecundia: natura quia omnes sub peccato, qui carnem gerit, culpæ obnoxius est. Ergo repugnat natura carnis, et illecebra seculi, innocentia integritaque. Repugnat etiam verecundia, quia erubescit unusquisque propriam culpam fateri, dum presentia magis, quam futura cogitat. *Ambr. epist. 5. ad Simplic.*

20. Fidelior factus est Petrus, postquam fidem se perdidisse dessevit: atque ideo majorem gratiam reperit, quam amisit. *Ambr. in serm. ad vincula.*

21. Quando sic pœnites, ut tibi amarum sapiat in anima, quod ante dulce fuit in vita, et quod te prius oblectabat in corpore ipsum te cruciat in corde, jam tunc bene ingemiscis ad Deum. *Ambr. in quodam serm.*

22. Amaritudinem radicis dulcedo pomi compensat: pericula maris spe lucri delectant: dolorem medicinae spes salutis mitigat: qui desiderat nucleum, frangit nucem, pœnitentiamque agit, qui vult æterno adhærere bono. Præconia Christi narrare possunt, qui ad palmam indulgentiæ meruerunt pervenire. *Hier. super Matth. super illud Pœnitentini et credite.*

23. Apud Deum non tam valet mensura temporis, quam doloris, non abstinentia tam ciborum quam mortificatio vitiorum, propter quod tempora pœnitentiæ pro fide et conversatione pœnitentium abbrevianda præcipiuntur, et pro negligentia protelanda existimantur, quum pro quibusdam culpæ modi pœnitentiæ sunt impositi. *Hieron. in quodam serm.*

24. Necessaria est pœnitentia, quæ aut æquet crimina, aut certe excedat. *Hier. in epist. ad Susan.*

25. Quum mentem Deus ingreditur, constat proculdubio, quod mox pœnitentiæ gemitus sequatur, ut ei jam salubriter flere libeat, quæ prius in iniquitatibus, flenda jucunditate gaudebat: sed quo uberius culpa fletur, eo altius agnitio veritatis attingitur: quia ad videndum lumen internæ bonitatis pol-

lula dudum conscientia, lachrymis baptizata renovatur. *Gregor. in moral.*

26. Apud misericordiæ judicem, nec ille fallax habebitur, qui ad veritatem revertitur, etiam postquam mentitur: quia omnipotens Deus, dum libenter nostram pœnitentiam suscipit, ipse judicio, hoc quod erravimus, abscondit. *Greg. in hom. 29. super evang.*

27. Quot habuit in se oblectamenta, tot de se invenit holocausta: convertit ad numerum virtutum, numerum criminum: ut totum serviret Deo in pœnitentia, quidquid ex se Deum contempserat in culpa. *Ibidem. hom. 55.*

28. Qui mala, quæ perpetravit, insinuat, sed flere, quæ insinuerat, recusat, quasi subducta veste vulnus delegit, sed torpente mente medicamentum vulneri non apponit. *Gregor. in moral.*

29. Fit plerumque gratior Deo, amore ardens vita post culpam, quam in securitate torpens innocentia. *Greg. in pastor. c. 12.*

30. Quum in gravi peccato miser homo labitur: suadet ei diabolus, ne pœniteat, ne confiteatur, peccatum leve et modicum in corde affirmat: misericordiam prædicat, longum spatium vitæ promittit: permanere in peccato suggerit: ut sic in contemptum Dei, et desperationem sui inducat, et pereat. *Greg. in quodam hom.*

31. Unusquisque conscientia convenitur, ut tanto majora quærat bonorum lucra per pœnitentiam, quanto graviora intulit damna per culpam. *Greg. super ill. Matth. 5. Facite.*

32. Quem vere pœnitet, laborem pœnitentiæ non abhorret: sed quidquid sibi pro culpa, quam odit, injungitur, tacita conscientia amplectitur. *Greg. in ho. quad.*

33. Deus etsi pœnitenti veniam spondit, peccandi tamen crastinum non promisit. *Ibidem.*

34. Quidnam majus miraculum, quam tot juvenes, tot adolescentes, tot nobiles universi denique, quos hic video, velut in carcere aperto tenentur sine vin-

culis, solo Dei timore confixi, quod in tanta afflictione perseverant pœnitentiæ ultra virtutem humanam, supra naturam, contra consuetudinem? *Bernar. in quodam serm.*

35. Equum indomitum flagella domant, animam immitem contritio spiritus et assiduitas lachrymarum. *Ibidem.*

36. Nunc lavandi tempus est, nunc purificationem patet esse necessariam: quoniam nemo mundus à sorde, nec infans, cujus vita est unius diei super terram. *Ibidem.*

37. Quid levius onere pœnitentiæ, quod non solum non onerat, sed et portat omnem cui importandum imponitur? Mirum opus naturæ: unde processit materia, iade sarcina levigatur, et quantum crescit in massa, tantum decrescit in pondere. *Bern. in ep. 72.*

38. Qui perfecte senserit onus peccati et animæ læsionem, aut parum sentiet, aut ex toto non sentiet corporis pœnam, nec reputabit, quo peccata noverit deleri præterita, et caveri futura. *Bernar. in quod. serm.*

39. Fugite, inquit, de medio Babylonis, et salvate animas vestras, et volate ad urbes refugii, ubi possitis et de præteritis agere pœnitentiam, et in præsentem obtinere gratiam et futuram gloriam fiducialiter præstolari. Non vos retardet conscientia, quia ubi peccata abundaverunt, superabundare consuevit et gratia: nec pœnitentiæ austeritas ipsa deterreat. *Nec enim condignæ sunt passiones hujus temporis ad futuram gloriam, et præteritam culpam, quæ remittitur, nec ad præsentem gratiam consolationis, quæ immittitur, non ad futuram gloriam, quæ promittitur.* Si verbis non creditis, operibus credite, exemplis acquiescite plurimorum: currunt undique peccatores ad pœnitentiam, et natura pariter et consuetudine delicati: nihil credentibus impossibile, nihil amantibus difficile, nihil asperum mitibus, nihil humilibus arduum reperitur: quibus et gratia fit in auxilium, et obedienti devotio lenit imperium. *Ibidem.*

40. Si erramus parvam pœnitentiam imponendo, melius est de misericordia Deo rationem reddere, quam de austeritate: ubi enim paterfamilias est largus dispensator, non debet esse avarus, et si Deus benignus, ut quid sacerdos austerus? *Chrys. super ill. Matth. 25. Onera gravia.*

41. Circa vitam tuam esto austerus, circa aliorum benignus, audiant te homines parva mandantem, et gravia facientem. *Ibidem.*

42. Numquam spernit Deus pœnitentiam, si ei syncere et simpliciter offeratur, et si ad summum quis perveniat malorum, et inde tamen velit reverti ad virtutis viam, suscipit libenter et amplectitur. Non enim temporis longitudine, sed affectus sinceritate pœnitudo pensatur. *Chrys. in lib. de reparatione lap.*

43. Latio ille, qui pendebat in cruce, non eguit prolixitate temporis, ut ingressum paradisi mereretur: sed tantum ei spatii sufficit, quantum expeli potuit, donec unum posset proferre sermonem: ita ut intra unum momentum temporis totius vitæ sceleribus absolutus præcedere ad paradysum etiam Apostolos mereretur. *Ibidem.*

44. Non dolere quia peccaveris, magis indignari atque irasci facit Deum, quam illud peccatum, quod ante perpetraveras. *Chrys. ho. 32. sup. Matth.*

45. Tales sunt, qui grave pondus venientibus ad pœnitentiam ponunt: quia dicunt, et non faciunt: et sic dum pœna pœnitentiæ fugitur, pœna peccati futura contemnitur. Si enim fascem super humeros adolescentis, quem non potest bajulare, posueris: necesse habet, ut aut fascem ejiciat, aut sub pondere confringatur: sic et homini cui grave pondus pœnitentiæ imponis, necesse est, ut aut pœnitentiam rejiciat, aut suscipiens dum sufferre non potest, scandalizatus amplius peccet. *Chrys. super ill. Matth. Alligant onera gravia.*

46. Clerici peccantes difficile pœnitentiam agunt: erubescit enim aliquando fieri reus, qui semper fuerat iudex. *Ibidem.*

47. Non est grave cadere luclantem, sed jacere dejectum. Non est perniciosum in pralio vulnerari: sed post vulnus acceptum desperatione curandi medelam vulneri denegare. Sape etiam athletas videmus post frequentes lapsus et dejectiones plurimas, coronatos: militem quoque scimus post multas fugas virum fortem fuisse, et vicisse victores. *Chrys. in epist. ad Heliud. monach.*

48. Sicut in præceptis medicinæ medicamentum quidem multas herbas recipit, unam autem dominantissimam: sic in pœnitentia elemosyna dominantior et potentior est, et universum ipsa conficit. *Chrys. in quodam serm.*

49. Qui aliquando videt clericum cito pœnitentiam agentem, et si deprehensum humiliaverit se? non ideo dolet, quia peccaverit, sed confunditur, quia perdit gloriam suam. *Chrys. super Matth.*

50. Pœnitentia est medicamentum vulneris, spes salutis, per quam peccatores salvantur, per quam Deus ad misericordiam provocatur: quæ non tempore pensatur, sed profunditate luctus et lacrymarum: pœnitentia autem, non mensium ac temporum cursu pœna pensatur, sed pœna, qua anima cruciatur, et mortificatur caro. *Isidor. de sum. bon. lib. 5.*

51. *Jugum meum suave est, et onus meum leve.* Quid jugo Christi suavius? quid onere levius? à scelere abstinere, bonum velle, omnes amare, nullum odisse, æterna consequi, presentibus non capi, nolle inferre alteri, quod sibi perpeti sit molestum. *Isid. sup. Matth.*

52. Pœnitentia appellata quasi punientia, eo quod ipse homo in se pœnitendo punit, quod male admisit. Tria enim, quæ sunt in percussione pectoris, id est, pectus, sonus, et manus significant, quod pœnitentia est de his, quæ mente, voce et opere peccavimus. *Hug. lib. 5. de myste. eccles.*

53. O pœnitentia, quid de te novi referam? omnia ligata tu solvis, omnia clausa tu reseras, omnia adversa tu mitigas, omnia contrita tu sanas, omnia confusa tu lucidas, omnia desperata tu animas. *Cypr. de laud. pœnit.*

54. Senario psalmodum personam pœnitentis aptavit, quia sexta die homo creatus, Christus pro peccatis crucifixus, in ipso die primus homo peccavit. *Cass. super Psalm. 6.*

55. Quid enim meruit latro, ut sic paradisum velociter introiret? quid publicanus qui repente de templo absolutus exivit? ipse dedit confessionis subitum votum, qui donavit, et præmium. *Cass. super illud Psalm. Pro nihilo.*

56. Quis in sæculo peccavit enormius Paulo? quis in religione gravius Petro? Illi tamen per pœnitentiam meruerunt assequi non solum ministerium, sed etiam magisterium sanctitatis: memor igitur misericordiae, quam filio prodigo revertenti pater evangelicus legitur impendisse, et illud. *Nolite ergo ante tempus judicare, quousque veniat Dominus etc.* nam nulla sunt, quæ de judicio Dei homines ignorant: quia fortasse, quæ vos laudatis, ille reprehendet: et quæ vos reprehenditis, ille laudabit. *Petrus Chrysologus in quodam serm.*

Vide etiam in tit. Abstinencia, núm. 12, 13, 15, 18, 22. in tit. Anima, núm. 26. in tit. Beatitude, núm. 15. in tit. Caro, núm. 1. in tit. Cogitatio, núm. 8. in tit. Confessio, núm. 29. in tit. Crux, núm. 15. in tit. Desperatio, núm. 9, 10, 12, 13. in tit. Elemosyna, núm. 36. in tit. Error, núm. 10. in tit. Ira, núm. 35. in tit. Lachrymæ, núm. 3, 4, 6, 11, 13. in tit. Meritum, núm. 15. in tit. Mundus, núm. 21. in tit. Oratio, núm. 14. in tit. Peccatum, núm. 8. in tit. Pœna, núm. 4. in tit. Tempus, núm. 6. in tit. Tribulatio, núm. 32. in tit. Venia, núm. 1, 2, 8, 17.

PERFECTIO.

1. Altior professio virtutis alliorem debet tenere vivendi. *Glossa.*

2. In plenitudine charitalis proprie preceptum illud impletur: *diliges Dominum Deum*, etc. nam quum adhuc est aliquid carnalis concupiscentiæ, quod con-

cupiendo frænetur, non omnino ex tota anima diligitur Deus. *August. in lib. de perfect. justitia.*

3. Cur nam præcipitur homini ista perfectio, cum eam in hac vita nemo habeat? non enim recte curritur: si quo cultrendum est nesciatur: quomodo ergo sciretur, si nullis præceptis ostenderetur? *Ibidem.*

4. Si vis perfectus esse, tu qui perfectum te esse pollicitus es, quid aliud, quam perfectam sectatus es vitam? Perfectus autem servus Christi, nihil præter Christum habet, aut si quid præter Christum habet, perfectus non est, cum se perfecte Deo sit pollicitus, aut mentitus est. *Os autem quod mentitur, occidit animam.* Igitur ut concludam, si perfectus es, cur bona paterna desideras? si perfectus non es, Dominum fefellisti. *Hier. in ep. ad Theod. Mon.*

5. *Unde omnia, etc.* Nec hoc ad perfectionem sufficit, nisi post contemptas divitias Salvatorem sequatur, idest relectis malis faciat bona. Facilius enim sacculus contemnitur, quam voluntas. *Ibidem.*

6. Hæc est in omnibus sola perfectio, suæ imperfectionis cognitio. *Hier. in epist. ad Theod.*

7. Plerumque hi, quos jam perfectos homines æstimant, adhuc in oculis summi Opificis aliquid habent imperfectionis. Sic sæpe imperiti homines nedum perfecte sculpta sigilla conspiciunt: et jam quasi perfecta laudamus, quæ tamen adhuc artifex considerat et limat: laudari jam aulit, et tamen ea tandem meliorando non desinit. *Greg. lib. 4. dialog.*

8. Tanto quisque perfectus est, quanto perfectius sentit dolores alienos. *Gregor. in hom.*

9. Mons altitudinem virtutum signat, ad quam angelus hortatur: qui non viderit se posse conscendere melius est, ut in Segor, id est, in parvula remaneat contentus laicali, et communi vita, quam montem virtutis arripiat, et ad secularia redeat. Est civitas hæc juxta, etc. juxta dicitur, et tamen ad salutem tuta quia activa vita est, nec à mundi curis ex toto discreta, nec à gaudio æternæ salutis aliena. *Gregor. super Gen. 19. in monte te salvum fac.*

10. Onus oneri additur, et minus onerat, et sic oneri gravissimo legis accedens quadriga evangelii, et auxit perfectionem, et minuit difficultatem. *Bern. in epist. 72.*

11. Nemo perfectus est, qui perfectior esse non appetit: et eo perfectiorem quisque se probat, quo ad majorem tendit perfectionem. *Bern. in quadam epist.*

12. Bonum acquirit gradum, qui bene ministraverit: meliorem forte, qui bene vacaverit Deo: optimum autem, qui perfectus est in utroque. *Bern. in serm.*

13. Deo, à quo nos sumus facti, reddamus, nec dominari nobis ea, quibus sumus naturaliter præpositi, permittamus: dominetur viliis ratio, subjiciatur corpus animo, animus Deo, et impleta est tota hominis perfectio: ut sicut viventia vita carentibus, sensibilia non sentientibus, immortalia mortalibus, ratiocinando præponimus: ita bene vivendo voluptuosus utilia, utilibus honesta, honestis sancta, et sanctis omnia perfecta præferamus. *Prosp. l. 3. de vita contemplativ.*

14. *Si vis perfectus esse etc.* Ille, qui mutavit pro divitiis paupertatem, ut fieret perfectus, non in ipso tempore, quo tradidit bona sua pauperibus, fiebat omnino perfectus, sed ex illa die incepit speculatio Dei adducere eum ad omnes virtutes. *Orig. super ill. Matth. 20.*

15. *Fiat voluntas tua.* Voluntas Dei est, quam Christus et fecit, et docuit: humilitas in conversatione: stabilitas in fide: verecundia in verbis: in factis justitia: in operibus misericordia: in moribus disciplina: injuriam facere non nosse, et factam posse tolerare: cum fratribus pacem tenere: Deum toto corde diligere: amare in illo, quod pater est: timere, quod Dominus est: Christo nihil omnino præponere, quia nec nobis quidquam ille præposuit. *Cypr. epist. 5. de Oratio. Dominica.*

16. Jejunia, vigiliæ, meditatio scripturarum, nuditas ac privatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt: quia non in ipsis

consistit disciplinae finis, sed per illa pervenitur ad finem. *Abbas. Moyses in collat. patrum. col. 3.*

17. Sunt qui evangelicam perfectionem simulate potius, quam in veritate arripere volunt, eorum scilicet laudibus provocati, qui universis divitiis mundi perfectam Christi praeferunt nuditatem. *Collat. 6.*

18. Miserum est cujuslibet artis ac studii disciplinam quempiam profiteri, et ad perfectionem ejus minime pervenire. *Abbas. Jo. in col. sua.*

19. Ad finem debet perducere, quae prudentum intentio visa est suscepisse: quia sicut perfecta laudem pariunt, ita et vituperationem generant, quae in mediis conatibus agra deseruntur. Defectus enim rerum, aut consilium titubare, aut vires arguit defuisse. *Cass. lib. 4. Epistolarum, epist. 54.*

Vide etiam in tit. Anima, núm. 30. in tit. Christianus, núm. 1. in tit. Cogitatio, núm. 5. in tit. Dolor, núm. 3. in tit. Error, núm. 2, 3. in tit. Exemplum, núm. 27, 28, 33. in tit. Favor, núm. 2. in tit. Fortitudo, núm. 18. in tit. Justitia, núm. 18. in tit. Laus, núm. 25. in tit. Meritum, núm. 5. in tit. Praesumptio, núm. 1. in tit. Relinquere, núm. 8, 32, 33. in tit. Sacerdos, núm. 29. in tit. Sanctitas, núm. 2. in tit. Scandalum, núm. 1. in tit. Simplicitas, núm. 8, 9.

PERICULUM.

1. Nimum praecipuus est, qui transire contendit, ubi conspexerit alium cecidisse, et vehementer infranis est cui non inculitur timor alio pereunte. Amator autem est salutis suae, qui et vitali alienae mortis incursum: et ipse est providus, qui sollicitus sit cladibus caeterorum. *August. lib. de singularitate clericorum.*

2. Non quisquam sibi proponat et dicat: habere volo, quod vincam, hoc est dicere: vivere desidero, et volo sub ruina. *Ibidem.*

3. Periclitatur castitas in deliciis, humilitas in divitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, charitas in hoc mundo. *Bern. in quodam serm.*

4. Bona turpitudine est, quae periculum vincat: citius invenitur periculum, quam contemnitur, namquam periculum sine periculo vincitur. *Senec. in prov.*

Vide etiam in tit. Contententia, núm. 1. in tit. Misericordia, núm. 2. in tit. Mors, núm. 2, 23. in tit. Mundus, núm. 20. in tit. Praelatio, núm. 2, 22.

PERSEVERANTIA.

1. Incassum bonum agitur, si ante vitae terminum deseratur: quia frustra velociter currit, qui priusquam ad metas venerit deficit. *Gregor. lib. 4. mor.*

2. Perseverantia est unica filia summi regis, finis virtutum, earumque consummatio, lotiusque boni repositorium et virtus, sine qua nemo videbit Deum. *Bernar. in quadam epistol.*

3. Absque perseverantia, nec qui pugnat, victoriam, nec palmam victor consequitur vigor virium, virtutum consummatio est. Nutrix est ad meritum, mediatrix ad premium, soror est patientiae, constantiae filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimis vinculum, sanctitatis propugnaculum. Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Denique non qui inceperit, sed qui perseveravit usque ad finem, hic salvus erit. *Bernard. in epist. 129.*

4. Bonam vitam ego puto, mala pati: et bona facere, et sic perseverare usque ad mortem. *Bern. in 2. serm. in vigi. Petr. et Pau. apost.*

5. Perseverandum est, et assiduo studio robor addendum, donec bona mens sit, et bona voluntas est. *Sen. epist. 14.*

6. Turpe est cedere oneri, et luclari cum officio, quod semel recepisti. Non est vir fortis ac strenuus, qui laborem fugit, nec crescit illi animus ipsa rerum difficultate. *Sen. epist. 1.*

7. Nihil est quod non expugnet pertinax opera, et intenta ac diligens cura. *Ibidem.*

8. In excelso est beata vita, sed perseverantia penetrabilis. *Sen. epist. 65.*

PETITIO.

1. Quum aliquid aliquando tardius dat Deus, commendat dona, non negat. Desiderata diu dulcis obtinentur, cito autem data vilescunt. Pete, quære, instat: petendo et quærendo crescas, ut capias. Servat tibi Deus, quod non vult cito dare, ut et tu discas magna magis desiderare. *August. de verb. domi. c. 1.*

2. Male usus eo, quod vult accipere, Deo potius miserante non accipit: proinde si hæc ab illo petuntur, unde homo læditur exauditus, magis metuendum est, ne quod posset non dare propitius, det iratus. *Aug. super Joan. ca. 74. Quodcumque petieritis.*

3. Sæpe vox nostra eo perficitur, quo differtur, et quum superficie tenus petitio negligitur, vota nostra alius in cogitationum radice solidantur sicut et semina messium gelupressa solidantur: et quo ad superficiem tardius exeunt, eo ad frugem multipliciora consurgunt. *Gregor. lib. moral.*

4. Desideria utique nostra dilatione extenduntur, ut proficiant, ut ad hoc quod perceptura sunt, convalescant: excitantur in certamine, ut majoribus cumulentur præmiis. In retributione labor protrahitur pugna, ut crescat corona victoria. *Ibidem.*

5. Quum is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur. *Gregor. in pastor.*

6. Non impetrat à Deo bonum, quod poscit, qui, ejus legi non obedit. Si enim id quod Deus præcepit, facimus, id quod petimus, sine dubio obtinebimus. *Isidor. lib. 3. de sum. bon.*

7. Petentis negligentia reprehenditur, ubi de dantis misericordia non dubitatur. *Chrys. super Matth. Petite et accip.*

8. Supplicatio est, quando desiderium mentis cum magna devotione exprimitur. *Hug. de san. Vict.*

9. Justum est, ut jugiter rogetur, qui si non petatur, offenditur. *Cass. super Psalm. Faccum servo tuo, etc.*

10. Honestius est rem negare: quam longos terminos dare: quia minus decipitur, cui celeriter negatur: unde res ad multam instantiam exhibita, cara videtur emptori. *Cass. in quadam epist.*

11. Qui timide rogat, docet negare. *Seneca.*

12. Nihil petas quod negaturus fuisti, nihil negabis quod petiturus fuisti. *Ibidem.*

13. Ingenuitatem lædes, cum indignum roges. Negat sibi ipse, qui quod difficile est, petit. Petenti auctoritas datur, quum credit dominum præstare posse quod petitur. *Senec. in Prov.*

Vide etiam in tit. Adjutorium, núm. 11. in tit. Amicitia, núm. 24. in tit. Clericus, núm. 3. in tit. Contritio, núm. 10. in tit. Divitiæ, núm. 2, 19. in tit. Munus, núm. 2, 5. in tit. Oratio, núm. 45.

PHILOSOPHIA.

1. Si quæ vera philosophi dixerunt, ab eis sunt tanquam ab injustis possessoribus vindicanda in usum nostrum. *Aug. lib. 2. de doctrin. Christia.*

2. Non est religio à Philosophis quærenda, qui eadem sacra recipiebant cum populis, et de suorum deorum natura ac summo bono, diversas contrariasque sententias in scholis personabant. *August. in lib. de vera. relig.*

3. Philosophi eo damnabilius colebant idola, quo illa quæ mendaciter agebant, sic agerent, ut cum populo veraciter agere existimarentur. *August. de civit. Dei.*

4. Qui de mensa et vino regis noluerunt comedere, ne polluerentur, si sapientiam atque doctrinam Babyloniorum scirent esse peccatum, nunquam acquiescerent discere, quod non licebat. *Hier. super Danielelem.*

5. Res siquidem monstruosa est, Philosophus curialis: et dum utrumque esse affectat, neutrum est, eo quod curia philosophiam excludit, et ineptias curiales philosophus usquequaque non recipit. *Chrys. lib. 1. de nugis curialium de vestigiis phil.*

6. Quicumque scientiam contingere cupit, si relicta veritate artium, reliquis se implicare voluerit, materiam laboris, ut ita dicam, infinitam plurimamque inueniet, et fructum exiguum: qua propter mihi videtur primum operam dandum esse artibus, ubi fundamenta sunt omnium, et pura simplexque veritas aperitur: et ideo errant, qui relictis artibus, quasdam sibi scientias eligunt, in quibus, se posse fieri perfectos putant. *Hugo in didasc. lib. 5.*

7. In philosophis enim fuit venerabilis imago virtutis, dum sine fide et dilectione virtutis substantia esse non possit: et utinam inquit, inueniatur in nobis, qui virtutis imaginem teneat. Quis enim umbras virtutum induit, quibus videmus floruisse gentiles? Quis enim Themistoclis diligentiam, Frontonis gravitatem, Socratis continentiam, Fabricii fidem, pudicitiam Scipionis, longanimitatem Ulyssis, Catonis pietatem imitatur? qui quasi quaedam seculorum suorum sidera splenduerunt, tempora sua illustrantes? Sed quia Christum non cognoverunt, in cogitationibus suis superbia tumescentes, vera humilitate carentes, humanam gloriam appetentes, et seipsos esse sapientes aestimantes et dicentes, stulti facti sunt ad Romanos. *Ibidem.*

8. O felicia antiquorum tempora, in quibus ipsi imperatores mundum, regentes seipsos philosophia dederunt, ut patuit de Alexandro Macedone, de Julio Cesare, de Ptolemæo rege. Cujuslibet enim regni gloria crevit in immensum: quamdiu artium liberatum studia in ipso floruerunt. Victoria enim militiae, et gloria, et philosophia simul creverunt. Es merito, quia philosophia vera docet juste et recte regnare. *Per me enim reges regnant, ait Sapientia. Ibidem. et scribit Alexa. de naturis rerum.*

9. Pisces fortasse philosophos vocat, qui hujus mundi naturam erratica curiositate pertractant: nam sicut illi posita fronte itinera sibi resecat, pelagi inundatione confusa, ita et isti capite demisso venas rerum ratione humana assiduo labore perquirunt. *Cass. super ill. Psalm. Volucres celi et pisces maris.*

10. Astrologiam sacrilegam summa intentione fugiamus, quam etiam nobilium philosophorum judicia damnauerunt. *Cass. super Psalm. 70.*

11. Ubi se in Astrologiae partem labilis error infuderit, et vitas mortalium decursu stellarum pulaverit colligendas, tunc abominandi, tunc potius caeci, quum se aestimant praevidere, quæ Creator nobis utiliter decrevit abscondere. *Cass. super ill. Psalm. Approping. sibi.*

12. Philosophia est disciplina, omnium rerum divinarum et humanarum rationes investigans. *Tull. in lib. de universal.*

13. O Philosophia dux vitæ, ô virtutis indagatrix expultrixque vitiorum: tu inventrix legum, tu magistra morum et disciplinae fuisti. *Ibidem.*

14. * Cum tota Philosophia fructifera et fructuosa, nec ulla pars ejus inculta ac deserta sit: tum nullus in ea feracior locus, nec uberior, quam de officiis, à quibus constanter honesteque vivendi præcepta ducuntur. *Tull. 5. Offi.*

15. * Est laudatarum artium omnium procreatrix et quasi parens ea, quam Græci Philosophiam vocant. *Ibidem. 2. de Orat.*

17. Philosophia nihil aliud est, si recte interpretari volumus, quam studium sapientiae. *Ibidem. 2. Offic.*

18. * Cultus animi, Philosophia est, quæ extrahit vitia radicitus, et præparat animos ad status accipiendos. *Idem. 2. Tusc.*

19. Epitetus Philosophus ajebat, literas atque doctrinas philosophiæ cum in hominem falsum atque degenerem tanquam in vas impurum atque pollutum influxissent, veterari, mutari, corrumpi, et ruinam fieri: et inquit tandem, nonnullos pecuniæ cupidos, gloria illectos, libidinum servos, ut cum qualitate pugnet oratio. Reprehensibile enim apud philosophos fuit, profiteri vitam philosophicam, et tamen non vivere secundum eam. *Aul. Gel. lib. 17.*

20. Nomen Philosophi à Pythagora ortum habuit, qui interrogatus quid profiteretur, verecundo nomine